Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-382146-p0001-2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-382146-p0002-7

# DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA
## DE
# CATALEPSI,

Quam,
ADJUVANTE DEO TRIUNO,
Juſſu & authoritate Magnificæ,
Nobiliſſimæ ac Gratioſiſſimæ Facultatis Medicæ in famigeratiſſimâ ad Salam Academiâ,

PRÆSIDE
MAGNIFICO ACADEMIÆ RECTORE,
*VIRO*
*Nobiliſſimo, Ampliſſimo, Excellentiſſimo, ac Experientiſſimo*

DN. CHRISTOPHORO SHELHAMMERO Hamburgenſi, Medicinæ Doctore Botanices, Anatomiæ, atq; Chirurgiæ Profeſſ. P. celeberrimo Dn. Præceptore, Patrono ac Promotore ſuo omni obſervantiæ cultu ætatêm proſequendo,

*Pro ſummis in arte Medicâ honoribus privilegiis & inſignibus DOCTORALIBUS legitimè conſequendis,*
Ιατροσόφοις publicè placidêq; examinandam
proponit

JOHANNES CASPAR Bowitz
JENENSIS.

---

*JENÆ*
Excudebat CHRISTIANUS LAURENTIUS Kempff/
ANNO M. DC. L.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-382146-p0003-3

Σὺν τῷ Θεῷ.

CUm inter affectus qui ſacram Palladis arcem cerebrum adoriuntur, omnium crudeliſſimus habeatur Catalepſis: non nefas duxi de naturâ & curatione ejus, quò aliquando iſtius ſævities infringi poſſit, ſermonem inauguralem inſtituere. Hunc ut feliciter ad finem perducam, Triſmegiſtum noſtrum Medicum Jeſum Chriſtum ardentiſſimo voto convenio, velit Divinâ ſuâ gratiâ adſiſtere, quò vergat, ad ſui nominis gloriam & proximi commodum.

Eſt autem affectus, rarus & admirabilis, hinc iſto affecti in ἔκςασιν à DEO rapti judicantur *Gal. & Fernel. & Plat.* vix unum duosve viderunt. Ideò non immeritò *Heinr. ab Hëer.* in obſ. refutat *Nollèntem*, quod ſe plures, quam mille Catalepticos vidiſſe glorietur.

Veteribus cognitum fuiſſe, nemo in dubium vocabit, ſi iſtorum ſcripta perleget. *Gal. 2. porrheth.* non ineleganter eum deſcripſit. *Paulus* & alii ejus quoq; mentionem faciunt. Sunt, qui *Hippoc.* non latuiſſe adfirmant. Antequam autem ad definitionem accedamus, prius de conturbatis vocibus, ne in ipſarum rerum cognitione confundamur (monitum *Galen. l. 2. de med. ſimpl. facult.* attendentes) quædam ſumus dicturi. Congelationem vulgò vocant, quoniam ægrotus rigidus & gelu quaſi conſtrictus in eo ſtatu, in quo correptus fuerit, permanet: hinc à *Platero*, ſtupor cum rigiditate adpellatur.

Κατάληψις etiam dicitur à καταλαμβάνεσθαι i. e. deprehendi: quia æger hoc morbo ſubitò afficitur. Rectè & illi nobis ſentire videntur, qui κάτοχον hoc malum vocandum putant, cum Galenus & alii Catochi & Catalepſis vocabulis pro ſynonimis uſi fuerint. *Diocli* aphoniam adpellitare allubeſcit.

Fracto nominis cortice, nucleum rei ipſum attingamus

neceſſe eſt. Deſcribimus igitur quod ſit *Repentina abolitio facultatum principum & ſenſuum externorum, reſpiratione ſalvâ manente, à congelatione & fixatione ſpirituum animalium proveniens.*

GENUS abolitionem ſubitam actionum principum & ſenſuum externorum cum *Gal. l. de differ. ſympth. c. 3.* ſtatuimus. Hoc enim qui tentantur affectu omnem imaginandi poteſtatem amittunt, memoriam abolitam habent. Senſibus externis omnibus privantur. Nec magnis clamoribus excitati audiunt. Non vident etſi oculi ſemper ſint aperti: quippe à ſuperiore facultate vis viſibilis nō apprehenditur *Senn. l. 1. prax.* Motus voluntarii abolentur, ut ſtatuæ ad inſtar marmoreæ rigidum corpus conſpiciatur. Hos autem amittit, non quod in organis ſpiritus deficiant; ſed quia à ſuperiore facultate, quæ torpida eſt & quieſcit, nullus imperetur motus. Reſpiratio ob ſummam neceſſitatem ſola ſervatur, nec facilè aboleri poteſt: cùm non ſit actio merè animalis.

CEREBRUM potiſſimùm hujus truculentiam experiri, ejus actiones læſæ, quæ nos in verâ partis affectæ cognitionem ducunt. *Gal. l. 3. de loc. aff.* teſtantur. Quænam autem pars afficiatur, non unanimiter conveniunt Medici. *Gal. l. 4. de loc. affect. c. 2.* poſteriorem magis moleſtari tradit: alii anteriorem affici adſerunt. Nos mediâ incedentes viâ, tam anteriorem, quam poſteriorem tentari credimus. Cor nonnunquam moleſtari probat *Fonſec. l. 2. conſult. 92.* quia æger ſuſpiroſus poſt acceſſionem excitatur.

CAUSAM IMMEDIATAM hujus admirabilis affectus explicare difficile eſt, cum authores planè inter ſe non conveniant. *Gal l. 2. aph. 2.* cerebri intemperiem frigidam & ſiccā cauſam proximam agnoſcit. Verum *Galeni* ſententia infirmo nititur talo. Videmus multos intemperie frigidâ cerebri præditos, catalepſi minimè corripi. *Ballonius l. 2. conſil. medic. p. 37. quadrifariam Catochen, cerebrum occupare docet. 1. per præſentiam humoris. 2. per intemperiem. 3. per reſolutionem & primigenii humoris & ſpirituum primigeniorum cerebri abſumtionem. 4. per fortem aliquam imaginationem rei triſtis, ut ſpirituum animalium oppreſſio & diſſipatio fiat.* Sed nec hic in omnibus ſatisfacit: ſiquidem

edm oppreſſionis ſpirituum effectum in aliis potius, quam in hoc morbo deprehendimus.

Diſplacet quoq; nobis *Scaligeri* opinio, quam etiam *Senn. l. 1. prax.* refutat. Magis ad ſalivam facit Sennerti ſententia, (quam tueri libet) qui congelationem & fixationem ſpirituum cauſam proximam adſerit. Unde autem iſta congelatio originem ſuam trahat, explicatu difficile eſt. Non à frigiditate, ut quidam volunt, talis enim, quæ ſpiritus animales congelare apta nata eſſet, in corpore noſtro non reperitur: videtur potius à ſpiritu quodam fixativo & congelativo, qui non debetur qualitatibus manifeſtis, ſed ab altiore & interno difficulterq; explicabili dependet principio exoriri. Tales ſpiritus in naturâ dari is non ibit inficias, qui hujus myſteria & ratione & experientiâ eſt ſcrutatus. In terræ motibus & è quibusdam ſpeluncis ſpiritus fixativos, ut homines & bruta exinde rigida fiant, exhalantes ſæpè videmus. Horum probabilitatem & fulminis natura ob oculos ponit, uti ex *Cardani* exemplo evidenter conſtat.

Spiritus menti & imaginationi inſervientes tantummodò congelari, cum *eodem Sennerto* ſentimus.

*Petræus* congelationem à ☿rio ſalis beneficio fieri docet. *l. 1. diſſ. 7. Noſol.* Non deſunt, qui vitriolatum vocant morbum, ſed in his quilibet ſuo abundet judicio.

CAUSA MEDIATA nobis eſt, quilibet humor vitioſus in corpore genitus, qui ſpiritus animales congelandi naturam induit, ſive ſit Melancholia ſecundum *Alex. Maſſar. l. 1. c. 15.* quam & *Sennertus* præ reliquis ad hunc affectum procreandum aptam putat: ſive pituita vitrea, vel pituita cum bile miſta, uti exiſtimat *Fernelius*. Sanguinem copiâ ſuâ caput replendo hunc morbum efficere, autumat *Zacut. Luſit. l. 1. hiſtor. princip. hiſt. 41.* Verum nos potius ſanguinem qualitate, quam quantitate peccare affirmamus. A vermibus catalepſim exortam legimus apud *Alex. Bened. l. 1. c. 26.*

Inter CAUSAS ANTECEDENTES referimus intemperiem cerebri frigidam & ſiccam. Hæc ad eſſentiam Catalepſis facere poteſt, teſte *Ballon.* CAUSÆ PRO CATARCTICÆ à nõ-



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-382146-p0007-5

nullis conſtituuntur, aër frigidus, & iter facere per loca nivoſa, unde partes emoriuntur & ſphacelosa fiunt; ſed iſta congelatio cum noſtrâ nihil habet commertii: attamen aërem vitioſum & nebuloſum latentem cauſam in actum deducere poſſe, non negamus. Contactus torpedinis & fumus argenti vivi ſtuporem, non Catalepſin, efficiunt. Victus intemperatus & non probi ſucci, ut cibi melancholici, Carnes ſale & fumo induratæ, & ſi præſertim congelandi acquirunt qualitatem, huic ſæpè occaſionem præbent. Potus vini vetuſti & præter modum ſumpti, quod cerebro maximè infenſum, hunc irritare poteſt morbum.

Retentio excretionum trita via eſt, quâ hæc pernicies ſeſe inſinuat. A ſuppreſſione menſium hoc malum originem ſumſiſſe, experientia comprobavit. *Fonſ. l. 2. conſult.* Vita ſedentaria, vigiliæ & crebriores lucubrationes, ſuum etiam hîc conferre queunt ſymbolum, ſpiritus enim diſſolvunt, humidum primigenium abſumunt, hepar ventriculumq; debilitant, hinc vitioſi humores generantur, qui huic malo anſam pronam porrigunt. Condiſcipulum *Gal.* ex nimio ſtudio hunc morbum contraxiſſe legimus. *l. 4. prorhet.* Animi παθήματα noſtrum quoq; cauſantur morbum. Viduis paventibꝰ & metu conſternatis familiaris eſt. *Rondeletius de puellâ quâdam commemorat, quòd cùm eum, cui nupſerat, parum amaret, præmœrore, eo affectu fuit correpta. Cum abſens*, ſcribit, *erat maritus, aut de eo nihil audiebat, reſtituebatur, audito ejus nomine corripiebatur. Et cum ferret hydriam recordans Mariti in viâ ſedebat oculos apertos habebat, larvam aut arte effictam dixiſſes.*

Ad differentias nunc devenimus. *Ratione ſubjecti* duas agnoſcimus, unam per ἰδιοπάθειαν, quando cauſæ morbificæ in ipſo cerebro latitant, ſive id fiat κατὰ πρωτοπάθειαν, quod ſcilicet materia in ipſo cerebro generetur, ſive κατὰ δευτεροπάθειαν, cum materia ad cerebrum transfertur, per criticam διαδοχὴν vel ſymptomaticam μετάστασιν, ut apud *Ballon.* legimus. Altera eſt, quæ per συμπάθειαν fieri dicitur, quando ex liene ventriculo inteſtinis, vapor iſte nocivus, ad cerebrum (quod aliàs ceu tectum omnes inferiorum partium inſultus

exci-

excipere cogitur) magnas concitaturus moleſtias, amandatur.

*Ratione cauſæ* tot differentiæ conſtitui poſſunt, quot cauſæ hunc effectum producunt, alia eſt ſanguinea, alia melancholia &c.

Differentiam aliquam à *magnitudine* deſumimus, alia eſt levis, ubi non omnes actiones principes abolentur, ſed animales potentiæ leve tantummodò nocumentum accipiunt, ut omnia quæ acta fuêre & audiant, & ſoluto paroxyſmo exactè recitent. Gravis & perfecta dicitur in quâ omnes actiones principes abolentur, motus ſenſusq; pereunt, & alia vehementiora ſymptomata conjuncta ſunt. Nativa una, altera adſcititia. Quædam manifeſta, alia occulta, *Ballon.* Cognitis differentiis ſignorum doctrinam aggredimur, quæ ſunt vel διαγνωστικὰ vel προγνωστικὰ vel ἀναμνηστικὰ, cum anamniſticis nobis jam nihil negotii.

DIAGNOSTICA præſentem morbi ſtatum monſtrantia, manifeſta ſunt. Ægri rigidi & gelu quaſi conſtricti manent, non audiunt, nec vident, oculis & palpebris apertis, motu & ſenſu orbantur. Pulſus languent, interdum ſunt fortes teſte *Hein. ab Heër*. Reſpiratio ſola ſalva, Alvus & veſica nihil reddunt.

In cauſarum cognitionem pervenimus, ſi cujusvis humoris indicia probè attendamus, quæ ex habitu, colore temperamento, ætate, ſexu & conſuetudine, prægreſſo ſex rerum non naturalium uſu, deſumuntur. Vermes ſi hunc fovent, propriis ſignis, ut morſu, dolore ſtomachi & inteſtinorum, membrorumq; atrophia & aliis innoteſcunt.

Idiopathicam cognoſcimus, quando dolor capitis & ejus gravitas præcedunt, & malum vehementius frequentiusque affligit. Sympathicam à ventriculo ortam monſtrant, nauſea, cibi faſtidium, ab utero ſuppreſſiones menſium aliæq; paſſiones hyſtericæ, à liene ſi provenit, tumor gravitas & tenſio in ſiniſtro hypochondrio deprehenduntur.

Signa diſtinctiva facile inveniet is, qui in cognitione morborum probè eſt verſatus.

PROGNOSTICORUM ſignorum mentionem faciamus,

ciamus, neceſſe eſt, cum iſta admirandum reddant Medicum *teſt. Hipp. in progn.*

Hic affectus inter morbos acutos primum ferê obtinet locum, quòd cauſa ejus obſcura & pars præſtans afficiatur. Non ſemper autem eundem retinet morem.

*Ratione ſubjecti* interdum eſt curabilis, interdum omnem reſpuit curationem. Juvenes pollentes viribus non ita difficulter ab hoc morbo liberantur. Novi Medicum (cui æternùm benè ſit) qui virginem in juvenili ætate conſtitutam, brevi temporis ſpatio, priſtinæ ſaluti reſtituebat.

In ſenibus incurabilis habetur. *Alex. Ben. teſte.* Periculoſior quoq; eſt idiopathica Catalepſis ſympathicâ.

*Ratione generis.* Catalepſis perfecta quam vehementiora concomitantur ſymptomata, curatu difficilis eſt. Symptomata mitiora ſi ſuperveniunt, de ſalute non deſperandum.

*Ratione cauſæ.* Si ab ex hauſto ſpiritu mortis ſemper paronymphus exiſtit, de quo ſcribit *Hipp. l. 3. prorhet. quæ cum exolutione fiunt, & catoche & aphoniæ pernitioſæ,* ſequuntur enim ſummam paupertatem caloris naturalis, & naturæ imbecillitatem: ab aliis cauſis exorta non ita periculoſa.

*Ratione modi eventus.* Terminatur interdum ad ſalutem. Ita juvenis apud *Ætium. l. 6. c. 4.* larga ſanguinis per nares eruptione, liberabatur, ad mortem vergit, ſi febribus & aliis morbis ſupervenit. *Ballon. l. 2.* ſcribit, quod ſervus Equitis Torquati febre lentâ & quartanâ duplici laborans catalepticus fuerit factus, ſed cum morte morbus ſolutus.

Intereunt cataleptici potisſimum per virium diſſolutionem ſeu perſuffocationem.

Prælibatis cauſis & ſignis ad curationem propero. In iſtâ autem indicationes tres meritò obſervandæ. *Curatoria* nobis ſuadet, ut cauſam proximam, vel motu vel qualitate peccantem tollamus. Qualitas ejus, quæ ſpiritus animales immobiles reddit, ſpecificis & alexipharmacis emendatur. Motui revulſione & averſione obviam imus. *Præſervatoria* materiam iſtam, unde vapores exhalant, reſpicit. hanc averruncamus alterantibus purgantibus, tam univerſalibus, quam particularibus,

bus, ne recidiva, (quæ ſuâ radice deterior, teſte *Gal. 3. criſ. 2.*) ſubſequatur. *Vitalis* curam gerit, partis recipientis cerebri & partium mandantium. Harum diſpoſitiones depravatæ, ad naturalem ſtatum redigendæ. Has in præſervatione, maximè attendimus, priorem ad paroxiſmum dirigimus, de quâ etiam primariò acturi ſumus. Huic ſatisfacere in animo qui habet, ſua media ex uſitatis fontibus depromit.

Ex Chirurgico. VENÆSECTIONEM ſi facies rubicunda, vires non debiles, ætatis & anni tempus conſentiant, cum Aetio nemo improbabit. Nam experientia eam fuiſſe proficuam, ſæpius comprobavit. Cephalicam ſecandam omnes uno ore ſuadent. In ſuppreſſione menſium ſaphenam egregiam opem ferre adſerunt.

Quantum ſanguinis detrahendum, ægroti conditio monſtrabit.

CUCURBITULAS quæ vicariam, teſte *Zacut. Luſit. l. 1. hiſt. princ.* venæſectionis operam præſtant, ſcapulis & brachiis nō ſine fructu applicamus. Alex. Maſſar. *Hæmorhoidalium* venarum apertionem, ſi retentæ fuerint, in hoc morbo inſignem habere prærogativam tradit. *l. 1. prax.* Ferro autem non ſunt aperiendæ, ne irreparabilis ſanguinis fluxus ſubſequatur, monentibus *Zacut. Luſit. & Excell. Slegel.*

FRICTIONES, quæ vapores diſcutiunt, â nobis non rejiciuntur.

RUBIFICANTIA & VESICATORIA, ſi reliqua nihil opis adferunt, in eſſentiali potiſſimum in uſum trahimus: quod materiam futuro paroxyſmo ſubtrahant, & evocent. Conficiuntur ex cantharidibus numero 4. vel 6. non dragmarum pondere (ut monet *Fabric. Hild.*) aſſumtis & aliis de his vid. *Polypluſ. Gazophylac. M. Gland.*

Modum novum, cujus inventionem debemus *Heinric. ab Heër obſ. 21. p. 246.* non rejiciendum arbitramur.

Ex *pharmaceutico.* PURGANTIA per os videtur extollere *Alex. Bened. l. 1.* quando ſcribit, ſe vidiſſe pilulis aureis diſſolutis & per fauces demiſſis Civem Venetum curatum. A purgantium tamen uſu jubet abſtineri *Alexand. Maſſar.* Nos

iis non facilè utimur, ſi cum animo conſideramus, quod ex commotione humorum magnum ægroto periculum impendeat: his autem præferimus Clyſteres revellentes.

VOMITORIA cum certi ſimus, in ventriculo vitioſos reſtagnare humores, non inutiliter exhibentur. Hæc etiam commendat *Fonſec.* Talia ſunt. *Sal. ⊕li. aq. bened. Ruland. oxy ſacch. emetic. Mynſ. ſyrup. Hartmann. &c.*

CLYSTERES REVELLENTES multùm hic prodeſſe, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, egregiè enim à capite revellunt, & hypochondria probè expurgāt.

Commendatur autem hic ℞. *Herb. malv. melilot ā Mj. ſalviæ major. an. Mß. rad. pœon. angel. alth. ān. ℥iij. ſem. aniſ. pœon. ā. ℥ij. fol. ſen. ſ. ſ. ℥vj. agaric. in p. l. ʒß. Gial. ℥ij. fl. ſtech. arab. anthos. ān. pij baccar. laur. ℥ij. furfur Mß. coq. in ſ. q. aq. Colat. ℞. ℔j. add. Elect. Hier. picr. ʒj. diaphæn. ℥vj. ol. aneth. ʒij. ſal. gemm. ℥ß. M. F. Clyſter.*

Fortiorem qui deſiderat, incolat. diſſolvere poteſt. *Crocum. Metallor. vitr.* ♂. Fortius autem operatur ſi ſimul coquatur. Vid. *pharmac. Dogmat. Querc.*

Clyſteres, ſi ob ſtrictas nates, ut accidit interdum, (notante *Hein. ab Hëer*) injici nequeuut, in iſtorum locum ſubſtituimus SUPPOSITORIA quæ in hoc morbo egregiam præſtiterunt operam *obſerv. Hein. ab Hëer & Alexa. Bened. l. 1. Comp. ex hicr. pier. Gal. Colocinth. ſcammon. Euphorb. alum. ex conſilio Angel. Sal. ſanguine humano exſicc. Hasfurt.* Nos hæc adnectimus ℞. *ſpec. Hicr. picr. ℥j. ſcamm. Helleb. alb. ā. ℈j. Coloc. ℈ß. Euphorb. g̃. vj. ſal. gemm. g̃. viij. Mellis. ʒß. M. F. ſuppoſitoria.* Quæ in horum uſu notanda. vid. apud *Hasf.*

Non poſſum non extollere STERNUTORIA, quia experientia, fidelisſima omnium rerum Magiſtra, docuit, his paroxyſmum ſubitò eſſe ſolutum. Conſtant ex major. roriſm. fl. lil. convall. pyreth. nicotian. rutâ. Chymici prædicant ſpir. 🜍. volatilem.

ALTERANTIA, ſingulari qualitate vapores fixativos diſcutientia, ſipario ſilentii non obtegenda: quippe in his unica ſpes curationis ſita eſt. Ea autem potisſimum exhibemꝰ, quia

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-382146-p0012-3

quia ſpiritus iſtius naturam nondum ſatis cognitam habemus, quæ epilepticis & apoplecticis inſultibus reſiſtunt. Horum ſylva apud Practicos paſſim extat: nos ſelectiora quædam adponimus, ut *Aq. Epil. Lang. Rolfinc. ejusd. Apoplect. Carfunc. auream. Aq. Ceraſ. nigr. picar. ſpir. lil. convall. Theriac.* ⊕*l. phil. urin. C.C. ſang. human. Hartm. fuligin. Tinct. Corall. perlar. Lunæ ſmaragd. Magiſt. C. C. ungul. alcis. Cran. human.* huc ſpectant. *Cinab.* ♁*. ſpec. de Hyac. pulv. Epil. Nob. Rolf. Bezoart. ejusdem de ſuccino. C. C. & ungul. alcis. philoſ. præpar. ſal. C. C. ſuccin. Extr. Caſtor. rutæ Cephal.* ♀*. pœon. & alia.* Ex his variæ formulæ concinnari poſſunt: nos unicâ hâc miſtura contenti erimus. ℞. *Aq Epil. picar. Carfunc.* ã. ℥ij. *Spir. Ceraſ. nigr.* ʒij. *C.C. rectif.* ʒß. *ſang human. Theriac.* ã. ℈j. *Tinct. Corall.* ℈ij. ☽ ℈j. *ſyr. Ceraſ. c. fl. tunic. Rolf. pœon.* ã. ℥j. *Conf. Alkerm.* ʒj. *M. S. Mixt.*

EXTERNA non ſuo carent fructu parantur ex his. *ol. ſuccin. rutæ major. Tereb. petrol.* Vel. ℞. *ol. nuc. moſch.* ʒj. *balſam. Peruv. (quod commend. Hein. ab Hëer)* ℈j. *ol. major. ſuccin. rorism.* ã. gũ. iiij *angel meliſſ.* ã. gũ. iij. *M.F.* Balſ. in ungantur vertex & nares. Ol. Tereb. & ceræ inungit. poſteriorem partem *Fonſ. Gualt. Bruel.* hoc commendat. ℞. *ol. Euphorb.* ℈j. *aq. vitæ* ℥ß, *ol. lilior. ſambuc.* ã. ℥j. *Caſtor.* ʒij. *M.*

Fomenta ex *ſalv. ſtechad. acor. fumar. lilior. convall. laur.* & aliis non inutiliter imponuntur.

In uſu Topicorum notandum 1. ne in principio calida & ſicca adhibeantur, ſed temperata applicentur, 2. ut ab aceti uſu nimio abſtineamus. *Sept. in anim.* Prophylacticæ curæ remedia itidem ex uſitatis deſumimus fontibus.

1. *Chirurg.* Venæſectio, quæ alias teſt. *Galen. l. 6. aph. 47.* à multis præſervat morbis, & hic non ſusq;, deq; habenda. *Fonſ. l. 2. conſult.* extollit ſectionem venæ frontis, quam & nos probamus.

2. Ex *Pharmaceutic.* In hoc primum ſibi vendicant locum PRÆPARANTIA, quæ ſemper purgationibus præmittantur inculcant. *Hipp. l. 1. aph. 21.* Materiam vitioſam corrigere poſſunt. *Aq. borrag. bugloſſ. Aperitiv. Schenck. Cephal. Sir. de bugloſſ. Capill.* ♀. *Corall. Eſſ. pœon. &c.* Vel hæc. ℞. *Magiſt. Co-*

rall. Cryſt. ♀. ã. ℈j. Succin. Cran. human. præpar. ã. g̃. v. ſalis. fraxin. meliſſ. ãn. g̃. iiij. Spir. C.C. g̃. iij. M. F. pulvis. Pro duabus doſibus. ℞. Aq. borrag. bugloß. ã. ℥ij. Carfunc aur. Ceraſ. nigr. ã. ℥j. ſir. Ceraſ. c. f. tun. rub. idœi. ã. ʒ. v. Eſſ. fumar. ʒj ß. Tinct. fl. pœon. ʒß. corall. ℈j. M. F. potio pro 2. doſ.

PURGANTIA à cacochymiâ corpus liberant. Horum uſum etſi in genere quidam Priſcorum, ut Aſclepias Gal. l. de purg. & Neotericorum, ut Helmont. l. de febr. rejiciant. Nos tamen firmiſſimo experientiæ ſulcro ſuſſulti purgantia non fortiora (de quibus etiam Hippocr. conqueritur, quod aliquam partem de viribus & ſubſtantiâ corporis detrahant) & ritè correcta, ne damnum aliquod inferant, ſummâ cum utilitate in his & aliis morbis in uſum vocamus. Fatetur ingenuè *Galenus l. de purg. facult.* ſe alopeciâ, vertigine Epilepſiâ laborantes ſolo purgantium uſu ſanaſſe. Laudantur autem hæc *Extract. Panchymag. Croll.* quod *Grynl. & Tonn.* extollunt. *Panchymag. Nobil. Rolf. Solut. R. Helleb. Cochiar. aurear. ſcammon. pulv. laxat. veget. Nobil. Rolf. ejusd. polycreſt. Magiſt. Gialap. ſcammon. roſat. Mynſ. Conf. Alkerm. purg. Mynſ. Zinz. purg. ejusd.* Nec ab uſu Mercurialium penitus abhorremus. Nos hæc addimus ℞. *Extr. Maß. pil. Cochiar. aurear.* ãn. ʒß. *Helleb. nigr. ſcamm.* ã. ℈ß. *Colocint.* g̃. vj. *Magiſt. perlar. ſuccin. præp.* ã. g̃. v. *Mag. lunar.* g̃. iiij. *ſal. ſalviæ* g̃. iij. *ol. rorism. major.* ã. g̃. ij. *M. F. cum ſpir. ſang. human. pil. deaur. ſerv.* pro uſu. Vel ℞. *Mag. Gial.* g̃. xvj. *pulv. polycr.* ♀. ⦶. ã. g̃. v. *Mag. Corall. ungul. alcis* ã. g̃. iij. *Conſ. rorism.* ʒij. M. F. bolus pro unâ doſi.

A DIAPHORETICIS, quæ reliquias inquinamenti cataleptici diſcutiunt, multum emolumenti ſperamus. Fonſ. decoctum *Chinæ & ſalſæpar.* præfert *Guajac.* quod Melancholia renuit. Modum decoct. confic. vid. apud. *Morell.* & alios. Nos his gratioribus delectamur; ut *aq. Theriac. Miſt. ſimpl. Diaphor. comp. Nobil. Rolf. ſpir. theriac. camph. ſang. human. C.C. ling. ſanct. Tinct.* ♁. *Bezoart. Extr. diaph. Brend.* ♁ *diaph. Bezoart. miner.* ☽. ☉. *Pulv Bezoart. Rolf. Mantuan. Dorncrell. vel.* ℞. ♁. *diaphor. pulv. Bezoart. Rolf.* ã. ℈ß. *Bezoart. miner.* ☽. g̃. *viij. Magiſt. hyac. ſmaragd. ungul. alcis* ã. g̃. *iiij. Tinct.* ☽. g̃. *ij. M. F.* pulvis

vis pro duabus doſ. ℞. *aq. Typh. C. C. ſamb. fumar.* ã. ℥j. *Tinct. roſar.* ℨß. *ſpir.* ⊕*l. philoſ.* ℈ß. *ſyr. pœon.* ℨß. *M. F. aq. ad pulv.*

DIURETICA etiam aliquem adferunt fructum qualia ſunt *Oxymel. Diuret.* ℚ. *Tinct. & Mag.* ♀. *ocul.* 69. *fœcul. petroſ. ſal. ſuccin. ononid. leviſt. ſpir. rerebinth. ebul. ol. ceræ* Vel ℞. *Tinct.* ♀. *Eſſ. leviſt.* ã. ℈j. *ſpir. lign. ſanct. ſambuc.* ã. gr. xij. ⊖. *rectific.* ã. gr. viij. *ſyr. dialth.* ʒij. *M. F.* Potiones ℞. *Magiſt. ſuccin. ocul.* 69. *an.* ʒß. ♀. *fœcul. petroſ.* ã. ℈j. *Extr. liquir.* ℈ß. *ſal. ononid. petroſ.* ã. gr. vj. *ſacch. ſ. in. aq. aſpar.* ℥jß. *M. F. rotulæ.*

Particulares capitis evacuationes, præmiſſis his univerſalibus locum quoque habent, ut Apophlegmatiſmi Errhina &c. quæ collectam in cerebro materiam per nares & fauces educunt.

Ut ℞. *Aq. Major.* ℥iij. *ſucc. rutæ betæ chelid. maj.* ã. ʒiij. *Extr. ireos* ℈j. *ſem. nigell.* ℈ß. *Mell. ſcyll.* ʒij. *M.* Vel

℞. *Extr. rutæ Major.* ã. ʒß. *Caſtor. theriac.* ã. gr. viij. *ol. Major. ſuccin.* ã. gr. iiij. *M. F. Balſ.*

Apoplegm. ſic parantur ℞. *Herb. roriſm. ſalv. major.* ã. *p.* ij. *rad. pyret.* ʒij. *Cinam. nuc. moſchat.* ã. ℈ij. *Agar. fol. ſen.* ã. ʒiij. *paſß. enucl.* ʒiij. *Coq. in ſ. q. aq. lil. convall. Col.* ℞. ℥vij. *add. mell. Anth.* ℥j. *m.*

Vel ℞. *Sem. ſtaphiſ.* ʒjß. *Galang. Cubeb. nuc. moſch.* ã. ℈j. *ſal. ammon.* ℈ß. *Extr. acor.* gr. vj. *cum. ſ. q. ſacch. & Tragac.* F. *Trochiſci.*

CORROBORANTIA demum, quæ naturalem refocillant conſtitutionem ne vitioſos generet humores, & præternaturalem corrigunt ut adverſa expellat, ſæpiùs commendamus exhibenda. Horum uberrimam ſegetem apud Practicos invenimus. Nos duo tantummodò pro Cerebri confortatione inſerimus. ℞. *Conſ. roriſm. tunic.* ã. ʒiij. *ſpec. diam. dulc. dianth.* ã. ʒj. *Conf. de ſmaragd.* ℈j. *Magiſt. Cran. human.* ã. ℈j. *Lunar.* ℈ß. *Extr. angel. ſalv.* ã. ℈j. *Cond. nuc. moſchat. Cortic. citri* ã. ʒjß. *Conf. Alkerm.* ʒj. *ſacch. ſol. in aq. Carf. aur. lil. convall. q. ſ.* ℥v. *M. F. Morſul. conſp. ol. major. ſuccin. an.* gr. iij. Vel

℞. *Trag. Cephal. Rolf.* ℨß. *fœcul. pœon. ſpec. de hyac. an.* ℈ij. *Mag. C. C. ſuccin. pp. an.* ʒß. *Zinab.* ♁. ℈ß. *ol. major. Caryoph. nuc. moſch. deſtill. an.* gr. iiij. *ſacch.* ℥j. *M. F. Trag.*

Inter externa hanc Cucupham laudamus. ℞. *Herb. ſalv. major. origan. an. Mß. rad. pœon. Cyper. an.* ℥ß. *ſem ſeſel. ocym. an.* ʒij. *fl. prim. ver. ſtech. arab. a. p. iij. Nuc. moſch. n. ij. gumm. aſſ. dulcis. Caran an.* ʒ j ß. *raſur. ſuccin.* ʒij. *ol. lign. rhod. ſuccin. major. an. g̃. iij.* M. F. ſpecies pro Cucuphâ.

In uſu corroborantium obſervanda ea, quæ monent *Prim. de error. vulg. & Zacut. Luſit. l. 1. hiſt.*

Formulas pro partibus reliquis confortandis addere inſtituti noſtri ratio non permittit, Nunc ad DIÆTAM accedimus, quæ conſiſtit in ſex rerum non naturalium adminiſtratione. Aër ſi ſit vitioſus & hujus mali cauſa exiſtat mutandus juxta præcept. *Hippoc. 6. epid. Comm. 5. t. 19.* vel arte corrigendus pulv. pro ſuffit. & al. Cibis veſcatur εὐχύμοις καὶ εὐπέπτοις, à vaporoſis & capiti nocivis abſtineat. Carnes perdicum turtur. pullor. ſi fieri poteſt in delitiis habeat. Vino utatur tenui. Mulſam hic propinat *Fontanon. l. 1.* cereviſiam probe defœcatam bibere multum conducit. In exercitiis modum tenere proficuum eſt. Ad Indos animi pathemata releganda: ſtudia intenta, qui ab hâc labe immunis eſſe cupit, cane pejus & angue devitabit.

BOVVIZI, ſacræ prænobile germen Hygiiæ,
dum Virtutis amor te invitat ad ardua, nec non
Pœoniam adſcendis magnâ cum laude cathedram;
Ecce! venit roſeô vel tandem Phœbus ab ortu,
opta-

optatâque videre facit tibi Cynthius horâ
exantlatorum finem metamque laborum.

Egregiis quæsô quis nō bona verba precetur
cœptis? quin tantis omnes FOELICITER auſis
acclamamus: Honos magno ſiet incremento,
atque tuæ pandat decus hoc nova carbaſa famæ.

*Eximios conatus tuos commendat, utque in Domini Parentis, in omni pharmaceutices parte peritisſimi, multâ rerum naturalium ſcientiâ & prudentiâ, ſenatoriâque dignitate conſpicui viri honorem, tuorumque commodorum ſingulare incrementum vergant, optat*

Guernerus Rôlfinck Ph. Med. D. Pr.
& Chim. P.P. Facult. Senior.
Medicus Ducalis Saxon.

---

*OCcultum morbum declaras ſidere dextro*
*illius cauſſas exponens judice Phœbo,*
*qui demiratus, reditum ſi fata dediſſent,*
*multa ſua non-nota ætati poſtera ſecla*
*obſervâſſe, ſtupens* Catalepſis *diſceret ortus,*
Otia majores ſic non fecēre minori,
poſteritas & habet quod relliquēre parentes
intactum. *Sit nomen gloria, fama perennis!*

Sic Clariſſ. Dn. Doctorando, Adfini ſuo
honorando, de ſummis in Medicina
honoribus ex animo gratulatur

*M. Joh. Chriſtfried Sagittarius*
*Hiſtor. & Poeſ. P. P.*

Tor

Τὸν νεμεσῶσι βροτοὶ ξύμπαντες, ὅς κεν ἄεργος,
Πολλὰ δὲ μοχθίζων ἀγλά' ἄεθλα φέρει.
Αὐτὸς ἀπαγγέλλεις σπουδὴν, ἀκελβῶν κατάληψιν,
Νοῦσον ἀεὶ δειλοῖς τὴν συγερὴν δὲ βροτοῖς.
Ἔχε Μαχαονίῃ ὅτι γοῦν νοῦν τεύ ἐπὶ τεχνῇ,
Νῦνι κυδαίνεαι καὶ θεσπεσίοισι τιμῇς.
Συγχαίρω θεὸν εὐχόμενος, ἐπιτεύξιν' ὀπάσσῃς
Φάρμακα, δ' ὠφελέων πάτριδι, πᾶσι πεοῖς.

*Haccé Clariſſimo ac Doctiſſimo Domino Competitori Amico ſuo honorando apponere voluit*

Gothofridus à Lanckiſch
Med. Licentiatus.

---

ARtis Apollineæ, BOWITZI, Nobile Germen,
Sic Te commendas rurſus prædivite fructu
Doctrinæ Medicæ, tua quod Documenta frequenter
Hactenus oſtendunt, præſens Diaſcepſis & ipſa
Teſtis, Te Medicas tractâſſe fideliter Artes:
Hinc meritò dignus cui grandes Phœbus honores
Conciliet, facilemq; adeò concredat Hygéam,
Accipies igitur conſultæ præmia laurus
Omine felici, fortunent Numina cœptis.

*Hiſce paucis teſtandi Amoris & Benevolentiæ ergò Clariſſimo ac Doctiſſimo Domino Doctorando gratificari voluit gratulabundus*

Fridericus Hoffmannus
Hal-Sax. Medic. Stud.

FINIS.

ULB Halle 3
005 132 606

VD17

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-382146-p0019-5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-382146-p0020-7

5.
1650, 8
24

# IO INAUGURALIS MEDICA
# DE
# ALEPSI,

Quam,
IVANTE DEO TRIUNO,
uthoritate Magnificæ,
e ac Gratioſiſſimæ Facultatis Medi-
famigeratiſſimâ ad Salam Aca-
demiâ,
PRÆSIDE
FICO ACADEMIÆ RECTORE,
*VIRO*
*o, Ampliſſimo, Excellentiſſimo, ac*
*Experientiſſimo*
ISTOPHORO SHELHAM-
mburgenſi, Medicinæ
nices, Anatomiæ, atq; Chirurgiæ Pro-
imo Dn. Præceptore, Patrono ac Promo-
ſuo omni obſervantiæ cultu æta-
tèm proſequendo,
*rte Medicâ honoribus privilegiis & in-*
*CTORALIBUS legitimè conſequendis,*
όφοις publicè placidèq; examinandam
proponit
NNES CASPAR Bowitz
JENENSIS.

JENÆ
HRISTIANUS LAURENTIUS Kempff/
ANNO M. DC. L.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-382146-p0021-3